

20

Genl. 2. Num. 35.

17

1777 11a

DISSERTATIO IVRIS GENTIVM POSITIVI
DE

CORONATIONE
EIVSQVE
EFFECTV INTER GENTES

P. 168

QVAM
PRAESIDE

VIRO CONSVLTISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

D. DANIELE NETTELBLADT

POTENTISSIMO PRVSSORVM REGI A CONSILIIS AVLICVS
ET PROFESSORE IVRIVM ORDINARIO

IN FESTO CORONATIONIS

POTENTISSIMI REGIS DANIAE

D. IV. SEPTEMBR. M DCC XLVII.

PVBICO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTET

HENRICVS WILHELMVS LÜBBEN
OLDENBVRGENSIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,

TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI ACAD. TYPOGR.



DISSERTATIO VIRI GENTIVM POSITIVI

DE

CORONATIONE

FIVSQUE

EFFECTV INTER GENTES

GLAN

PRÆSIDE

VIRO CONSVEITISSIMO AVQVE DOCTISSIMO

D. DANIELE NETTLEBLADT

HONORISSIMO PRÆSORVM REGI A CONSILII AVLICVS
ET PROFESSORE IVRIVM ORDINARIO

IN ESSO CORONATIONIS

POTENTISSIMI REGIS DANIAE


D. IN SEPTEBR. M DCC XLVII

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI

SVBMITTET

HENRICVS WILHELMVS LVBEN

OF DENBARGERENSIS



SERENISSIMO

ET

POTENTISSIMO. PRINCIPI

AC

DOMINO
FRIDERICO. V


DANIAE. NORWAGIAE. VAN-
DALORVM. GOTHORVM-
QVE. REGI

DVCI. HOLSATIAE. WAGRIAE. STORMARIAE
ET. DITMARSIAE. COMITI. IN. OLDENBURG.
ET. DELMENHORST. &c. &c.

REGI. AC. DOMINO. SVO
CLEMENTISSIMO

PATRI. PATRIAE. OPTIMO
PRINCIPI. PIO. FELICI. AVGVSTO

REX POTENTISSIME
PATER PATRIAE
OPTIME
DOMINE LONGE
CLEMENTISSIME

 tum ita natura comparatum
sit, ut ea, in quibus omnia per-
fecta & suis numeris absoluta
intuemur, vel tunc, si ea nihil
ad nos spectant, prae ceteris
miremur & magnificiamus;
quanto maiori nos perfundi voluptate
necesse est, si haec ipsa quodammodo
ad nos pertinere sentimus. Hinc con-
iun-

iuncta maximo cum amore admiratio
immortale illud, quo effertur gau-
dium, intra finem continere nequit, sed
quomodocunque cum aliis communi-
care & quamplurimis impertiri studet,
Iam vnusquisque iudicare poterit,
quam humana sit laetitia, quam iusta
exultatio eorum, quibus fauente fide-
re datum est, vt TVI Numinis auspiciis
REX POTENTISSIME fru-
entes, TE dominum suum, TE patrem
patriae salutare & venerari possint.
Tot enim & tanta animi TVI plane
regii vniuerso orbi dedisti pignora, vt
ex iis certissimum & falli nescium augu-
rium capere liceat, TE ita celsissima
auita virtutis premere vestigia, vt ea
subsequi non satis habeas, sed vel ante-
vertere velis. Quotquot TVO glo-
riantur imperio regiones, innumera-
iam TVAE prudentiae, clementiae &
benignitatis expertae praedicant docu-
sup) 3)
menta;

menta; in primis vero ante oculos ver-
satur, quam clementer dulcissimam pa-
triam Oldenburgum TVVM, tot for-
tunae fulminibus ab aliquo tempore
concussum refouere & confirmare di-
gnatus es. Quae cum ita sint, quum
ideo exteri & alienorum parcissimi alias
laudatores in TE tamen celebrando &
supra omnes euehendo concordibus
suffragiis conspirent, quanto magis illi,
qui TVAE MAIESTATIS sedem na-
scendo sortiti sunt patriam, praeclaras
& diuinas TVAS virtutes deuotissima
mente praedicare & colere tenentur?
Haec sunt, quae nos, qui in hac musa-
rum palaestra id agimus, quo TE &
TVA indulgentia digniores reuertamur,
excitarunt, vt illum diem, quem im-
ponendo TIBI regio diademati solen-
nem esse iussisti, licet ab Augusto TVO
NVMINE remoti, pie & quam possi-
mus sancte celebremus. Haec me quo-
que

que prae aliis inflammantur, ut has de coronatione eiusque effectu meditationes in lucem proferrem, primumque hunc ingenii MAIESTATI TVAE deuotissimi foetum augustissimo TVO nomini inscriberem.

Patere igitur REX POTENTISSIME, pro summa illa, qua omnes scientiarum cultores amplecteris indulgentia, ut libellus hic, quam TIBI sacrum esse volui ad puluinar TVVM deferatur, & accipe clementer, quod TIBI submississime offerre ausus sum. Quumque TV, DELICIVM GENERIS HVMANI, id vnice agas, ut nullus TIBI effluat dies, quo non vnum & alterum sicut ille, sed quamplurimos beneficiis adicias, iam TE supplex oro obtestor, ut & me quem vel leuissima TVAE clementiae aura beatissimum reddere potest, REGIO TVO fauore & tutela dignari velis. Annue PATER PATRIAE

TRIAE AMABILIS, votis eius, qui
iam totus TVVS est, vt TIBI & pa-
triae feruens viuere & mori liceat.
Ego quidem pro TVA, & SERE-
NISSIMAE DOMVS TVAE
salute, non tantum festo hoc die, quem
TIBI auspiciatum pia mente gratulor,
sed ad vltimum vitae halitum, pro eo ac
debeo vota & preces castissimas funde-
re nunquam desitam

REGIAE MAIESTATI
TVAE

MAN, id vnicę agas, vt nullus TIBI
effugiat dies, quo non vnum & alterum
fuerit ille, sed quatuordecim beneficis
adicias, iam TE duplex oro optator,
vt & me quem vel leuissimam TVAE
clementias cura beatissimum reddere
potest, REGIO TVO fauore & inter-
is dignari possit. subiectissimus
HENRICVS WILHELMVS LÜBBEN.



DISSERTATIO IURIS GENTIUM POSITIVI
DE
CORONATIONE EIVSQUE
EFFECTV INTER GENTES.

CAP. I.
PRINCIPIA QVAEDAM GENERALIA IURIS
GENTIUM POSITIVI.



§. I.
Gregia illa iurisprudentiae pars, quae circa iura et obligationes gentium inter se versatur, indeque hodierno loquendi usu *iurisprudentia gentium* appellatur, merito adhuc, quod dolendum, ad eas disciplinas referenda, quae nondum factis excultae, et in academiis fere negliguntur. Nec mirum est hanc iurisprudentiae partem, quae dignitate tamen omnes reliquas antecellit, haec fata expertam esse, cum eruditi adhuc circa quaestionem praeiudicalem: *an detur ius gentium a iure naturae diversum?* occupati, & de partibus huius disciplinae constituendis inter se non conveniant, qui non negant eius existentiam.

A

Seb.

Dissertatio iuris gentium positivi

Sch. Notum est, quas lites excitauerit a GROTIO sic dictum ius gentium arbitrarium, quod a SELDENO, PUFFENDORFIO, HERTIO aliisque impugnatum, et nuper adhuc destruere conatus est DN. M. BERTLINGIUS in dissert. *de iure gentium voluntario*, Goettingae hoc anno edita. Non desunt tamen qui a partibus GROTH stant, eiusque defensionem felici successu contra PUFFENDORFIIUM eiusque adscelas, susceperunt, inter quos praesertim huius Academiae quondam decus et ornamentum B. DE LVDEWIG nominandus, qui in diss. *de laesione iuris gentium* egregie vindicauit Grotianum de iure gentium voluntario dogma.

§. II.

Vt vero eo clarius elucescat, ius gentium a GROTIO voluntarium dictum non ad entia rationis esse referendum, et ne desint principia demonstrandi, operae pretium erit, pauca quaedam de partibus iurisprudentiae gentium praefari. Quod natura, prout inter singulos homines in statu naturali viuentes, et inter subditos et superiorem, ita etiam inter gentes iura et obligationes constituat, negare nemo audebit, nec vnquam quis, si recte recorder, negauit. Quod vero etiam gentes inter se voluntate sua vel expressa vel tacita sibi iura et obligationes constituere possint, itidem negare nemo potest, qui quamlibet gentem vnā repraesentare personam non audet negare. Sic itaque iura et obligationes gentium inter se ex parte natura, ex parte gentium voluntas constituit, quae si a se inuicem separantur, duae inde oriuntur iurisprudentiae gentium partes, quarum prima merito *naturalis*, posterior vero *positiua* appellatur.

Sch. i. Non primus sum qui has duas iurisprudentiae gentium partes constituit, cum non solum omnes ii, qui cum GROTIO ius gentium voluntarium admittunt, mecum

con-

consentiant, sed et Perill. L. B. ab ICKSTATT in *Elementis iuris gentium* Lib. 1. c. 2. §. 1. seqq. hanc partitionem agnoscit, et prouocet ad Cel. ROUSSET qui in tractatu: *des interets des Princes et des pretensions de puissances de l'Europe*, inquit: ces loix, que les Princes ont entre eux sont de deux sortes; les unes sont eternelles, ce sont les loix de l'equite, de la raison, de la conscience - - - les autres sont volontaires, positives et dressés d'un commun consentement; celle-ci sont renfermees dans les traites, accords, conuentions, alliances, conclues entre les souverains pour regler leurs droits presens et terminer leurs querelles et leurs disputes. Eandem distinctionem quoque approbat du MONT prefate du corps diplomatique: le droit de gens selon moi peut et doit estre defini, le droit respectiv des peuples les uns enuers les autres et aussi en eux memes et ce droit est ou NATVREL ou CONTRACTE. Legi etiam hac de re meretur MOSERIANA elegans disquisitio: von dem Völscher-Recht überhaupt, und von den Europäischen ins besondere Moserianis Part. 1. n. 4. inserta

Seb. 2. Quamuis vero per se pateat ius gentium posituum a iure naturae differre, an etiam ius gentium naturale a iure naturae singulorum hominum in statu naturali uiuentium differat? merito tamen quaeritur. Vulgaris quidem est cantilena, ius gentium esse ius naturae singulorum hominum ad integras gentes applicatum, sicque vix mereri ius gentium naturale speciatim pertractari, quae cantilena cum suauis sit, decipit et deceptit multos, efficitque in academiis negligi etiam iuris gentium naturalis studium, cum iam iuris gentium positui vix mentio fiat, vt non sine causa B. de LVDEWIG in scriptis suis, quauis data occasione, hunc neglectum deploret, et recte iudicet *Illustr. GLAFEX* in dem *Vernunft-Recht* Lib. 2. cap. 1. §. 317; Es solte derienige dem publicinen ungemainen Dienst thun, welcher diese hithero unbekandte disciplin, so die Academisten iungen Leuten durch ihre alberne lehre de iure gentium voluntario profus non

dabili bei nahe ganz aus dem Kopf gebracht, geschichtmäßig ausführte und erörterte. Quod vero omnino ius gentium naturale ab ipso iure naturae singulorum hominum differat, iam amplius obscurum esse nequit postquam in eruditorum manibus versantur egregia Elementa iuris gentium, quae L. B. AB ICKSTATT auctore prodierunt, ex quorum inspectione statim patet, quam erronea sit vulgaris doctrina.

Sch. 3. Quam absona sit vulgaris illa de iure gentium naturali doctrina, adhuc clarius elucescit, si perpendimus omnes gentes simul sumtas, etsi nunquam generalem quandam societatem de communi salute et securitate promovenda expresso pacto inierint, tamen vivere in tali societate, quae commode *Systema gentium* appellari potest, id quod etiam iam perspexit M. CALLIERS *dans sa maniere de negotier avec les souverains*, qui cap. 2. eleganter ita inchoat, „Pour bien connoitre, de quelle utilité peuvent être les „negociations; il faut considerer, que tous les etats, dans „l'Europe est composée ont entre eux des liaisons et des „commerces nécessaires, qui sont, *qu'on peut le regarder „comme des membres d'une même republique*, et qu'il ne peut „presque point arriver de changement considerable en „quelques uns de ses membres, qui ne soit capable de „troubler les repos de toutes les autres.„ Per naturam huius maximae societatis in qua gentes vivunt vero, varia iura inter gentes constituuntur quae inter singulos homines locum habere nequeunt, et quoties iura singulorum hominum inter gentes non possunt locum habere salvo hoc gentium systemate, alia iura ex huius systematis natura deducenda locum habent. Maxima itaque quae est inter ius naturae quoad singulos homines in statu naturali viventes, et ius gentium naturale, differentia, iam ex his quae brevibus dicta, et alio loco et tempore vberiore explicationem a Dn. PRAESIDE accipient, cognosci potest.

§. III. Sed mitto iurisprudentiam gentium naturalem et ad positivam me conuerto, vt propius accedam ad scopum meum. Iurisprudentia gentium positiva continet iura et obligationes gentium inter se, quae voluntate sua sibi constituerunt (§. 2.); iura et obligationes quae gentes inter se voluntate sua constituerunt vero, vel sunt iura et obligationes quibus omnes, saltem moratiores gentes, inter se vtuntur, vel iura et obligationes quibus tantum quaedam gentes inter se vtuntur, vnde oritur iurisprudentiae gentium positivae subdiuisio in *generalem* et *specialem*.

§. IV.

Observantia gentium est regula tacita gentium voluntate constituta, secundum quam actiones suas determinare obligantur.

§. V.

Iidem actus a gentibus saepius repetiti *Mores gentium* appellantur.

§. VI.

Soli mores gentium non constituunt observantiam gentium nec obligant perfecte gentes ad imitandum, sed datur tamen nihilominus gentium observantia. Cum gentes, vt constat ex primis iurisprudentiae gentium naturalis principis, a se inuicem sint independentes, vna alteram, nisi consentiat, obligare nequit. Qui consensus cum deficit in moribus (§. 5.), et tamen is ad observantiam gentium introducendum necessarius (§. 4.), soli mores non dum constituunt observantiam gentium, nec obligant gentes ad imitandum.

Eti vero mores gentium, hoc est, iidem actus gentium

tium saepius reiterati, non operentur gentium obseruantiam, ideo tamen non illico sequitur nullam inter gentes dari obseruantiam. Cum enim gentium actus vel vnicus vel etiam plures, pro circumstantiarum diuersitate, ad notitiam aliarum gentium peruenire possint, sique hi actus tales ut aliae gentes loqui potuissent et debuissent, nisi velint inde oriri regulam imposterum obseruandam, nec tamen loquuntur, tacite consentiant ex his actibus oriri regulam, secundum quam imposterum actiones liberae determinandae, talisque regula obseruantia gentium appelletur (§. 4.), quin deur obseruantia gentium dubio caret.

Sob. Neglecta differentia inter obseruantiam gentium et mores gentium, excitauit et adhuc alit, si quid video, controuersiam de iure gentium voluntario Grotiano. Defensores GROTIUM enim non defendere intendunt, mores gentium ius facere, sed tantum de obseruantia gentium hoc asserunt, quamuis non satis cauti sint in exemplis ad quae prouocant seligendis, nec distincte mentem suam explacent. Oppugnatores huius sententiae itaque, GROTIUM adfectas defendere omnes gentium mores ius facere credunt, et sic in hac controuersia quadrata miscentur rotundis, abique ea tandem in veram logomachiam. Miror me in his castris etiam pugnantem inuenire acutissimum et doctissimum HERTIUM in *diff. de iure sect. 1. §. 2. seqq. opusc. Tom. 1. p. in 160. seqq. edit. A. 1737.* Disputat etiam contra obseruantiae gentium existentiam THOMASIVS tam in *iurisprudencia diuina Lib. 1. cap. 2. pag. 109. quam in dissert. de iure consuetudinis et obseruantiae §. 22. cuius argumenta resoluit illustr. GLAFEY l. c. §. 298. seqq.* Nec desunt exempla a posteriori comprobantia, quam defendo, thesin, quae larga manu suppeditat de GOEBEL in *dissert. de obseruantia gentium et imperii. Cap. 1.*

§. VII.

Decorum gentium positivum seu arbitrarium est determinatio actionum gentium permissuarum, aliarum gentium actionibus conformiter facta. Actiones permissivas vero appello, quae nec praeceptae nec prohibitae.

Sch. Non iam sollicitus sum de generali decori notione, sed potius decori definitionem accommodavi statim ad id decorum, quod dicitur decorum gentium positivum. De generali decori notione sollicitus legat egregias Perill. huius Academiae Cancellarii L. B. DE WOLFF de decoro meditationes *Philos. pract. univers. Part. 1. §. 194.* et iungat *Cel. SPITZNERI* diss. *de notione decori distincta completa*, dubia contra hanc definitionem mota, si vult legere resoluta. Non multum a mea, abludit Celeberrimi Hafniensis Icti Illustr. SCHEIDII decori in comm. *de rationi belli §. 1.* data definitio: *Decorum* inquit *VIR CONSULTISSIMVS in aliis hominibus eiusdem nobiscum sortis et conditionis, quoad res indifferentes, nullaque superioris regula definitas, ad existimationem nobis conciliandam vel certe contentum evitandum, prudenter imitandis ponimus.* De decoro gentium vero specialiora dabunt L. B. ab ICKSTATT in *Element. Iur. gent. Lib. 2. cap. 1. §. 15. seqq.* et TREVERVS in diss. *de decoro gentium circa belli initia cap. 1.*

§. VIII.

Si gentium mores non degenerant in observantiam gentium, decorum gentium constituunt. Si enim gentium mores non degenerant in observantiam gentium, non perfecte obligant gentes (§. 6.), quamvis contineant gentium aliarum actiones uniformes (§. 5.). Cum itaque, si gentes iis moribus conformiter viuunt, actiones permissivas aliarum gentium actionibus conformiter deter-

determinent, haec determinatio actionum vero constituat decorum gentium (§. 7.), si gentium mores non degenerant in obseruantiam gentium, inde oritur decorum gentium positium.

Sch. En tibi fontem decori gentium positivi seu arbitrarii, ex quo patet, ex historia in quo gentium decorum positium consistat discendum esse.

§. IX.

Cum gentes non perfecte obligatae ad imitandum mores aliarum gentium (§. 6.), decorum gentium vero consistat in morum imitatione (§. 7. 5.); *gentes ad decorum obseruandum non sunt perfecte obligatae, sed pertinet potius decori gentium custodia respectu aliarum gentium ad officia humanitatis, respectu gentis agentis vero ad regulas prudentiae.* Cumque genti quae officia humanitatis denegat, vicissim ea denegari a gente cui denegantur possunt (*per princ. iur. gent.*); si quae gens decorum erga alias non obseruat, ei recte gentes aliae etiam denegant officia decori.

Sch. Praxis inter gentes vbique obuia haec principia satis comprobat. Placet tamen vnico recentissimo exemplo principia de decoro gentium suppeditata illustrare, quod relatum legimus in *Novellis Politicis Ratisbonensibus*, Venetrag zu der XXXIIsten Woche his verbis: den 21sten auf den 22sten des Monats, trachteten die Franzosen sich der Schanze Ryck in de Pot zu bemächtigen, es wurden die selben aber mit Verlust zurück gewiesen. Den folgenden Morgen begehrte der Graf von Löwenthal, zu Beerdigung der Todten Stillstand der Waffen, es soll ihm aber, wie man versichert zur Antwort seyn gegeben worden: daß man ihm, dem Gebrauch nach solchen zugestanden haben würde, wann er nach den Gesetzen und Regeln des

des Ketzers die Stadt belagert, und die Festungs-
Wercke zu bemeistern sich beflissen hätte; nachdem
er aber nur die Stadt zu verbrennen suchte, so wä-
re man entschlossen weder Waffen-Stillstand zu be-
gehren, noch zu ertheilen.

OBSERVATIO I.

Silent annales vnquam omnium gentium, vel
etiam saltem moratorum, summos imperantes con-
uentum seu concilium generale celebrasse, in eoque
vnanimi consensu sibi regulas constituisse, ex quibus
gentium iura et obligationes aestimari imposterum
debeant. Et prout HENRICI IV. Galliae regis de con-
gregando communi et generali gentium iudicio, ne
quidem huc pertinet, ira etiam exitu caruit. Con-
cilia oecumenica vero, ad quae personae ecclesiasticae
conuocatae de negotiis ecclesiasticis deliberandi et de-
creta pangendi causa, annales non ignorant. Vid. LVÖ-
WIGII Gelehrte Anzeigen P. 3. n. 59. §. 41. p. 371.

§. X.

*Vnicus fons iurisprudentiae gentium positivae ge-
neralis est observantia gentium: iurisprudentiae gen-
tium positivae specialis fontes vero sunt tam obseruan-
tia gentium, quam pacta expressa; quibus fontibus quo-
ad gentes catholicam religionem profitentes in causis
ecclesiasticis accedunt canones conciliorum generalium
et Pontificum Decreta.* Iurisprudentia gentium positi-
ua continet iura et obligationes gentium inter se quae
voluntate sua sibi constituerunt (§. 2.), et generalis qui-
bus omnes gentes vtuntur (§. 3.). At enim vero vo-
luntas gentium qua sibi iura et obligationes constitue-
runt, aut expressa, aut tacita sit, necesse est, expressa

B

vero

vero cum desit (*Obs. I.*), tacita sola remanet. Haec vero cum constituat obseruantiam gentium (§. 4.); vnicus fons iurisprudentiae gentium positivae generalis est obseruantia gentium.

Quod vero quaedam gentes inter se pactis expressis iura et obligationes determinauerint, nulla indiget probatione, et dari inter illas obseruantias iam euictum (§. 6.); hinc iurisprudentiae gentium positivae particularis fons, tam pacta, quam obseruantia gentium sunt.

At enim vero gentes catholicam religionem profitentes, agnoscunt Pontificis monarchiam in ecclesiasticis, et conciliorum vniuersalium decreta seu canones, communi earum consensu stabilitae (*Observ. I.*). Singulae gentes catholicae religioni addictae itaque canones conciliorum generalium & pontificum decreta in ecclesiasticis causis pro lege agnoscere debent, hincque sunt fons ex quo iura et obligationes earum inter se in causis ecclesiasticis aestimari debent.

Sch. 1. Confirmant dicta, quae de eminenti Pontificis Romani in Christianos auctoritate LEIBNITIVS in praefatione *Cod. iuris gentium diplomatici* disseruit. *Habent autem inquit Christiani aliud quippe vinculum commune, ius scilicet diuinum positivum, quod in sacris libris continetur, quibus accedunt sacri codices, tota ecclesia recepti & postea in occidente Pontificia iura, submittentibus sese Regibus populisque, & in vniuersum (nec sane praeter rationem) ante superioris seculi schisma placuisse diu vides, vt gentium christianorum republica communis intelligeretur cuius capita essent in sacris Pontifex maximus, in temporalibus Imperator Romanorum &c.*

Sch. 2. Sunt qui adhuc alium fontem, nimirum voluntatem diuinam, addunt, indeque nouam iurisprudentiae gen-

gentium positivae partem efformant, quam appellant, *iurisprudentiam gentium divinam*. Audiamus III. MOSERVM qui l. c. §. 7. (vid. not. ad §. 1.) ait: Es ist kein Zweifel daß die vielen Völker, welche einen göttlichen, entweder der menschlichen Natur eingepflanzten, oder aber geoffenbarten und schriftlich verzeichneten Willen und Befehl erkennen, demselbigen auch Folge zu leisten verbunden seyen, z. E. wann Christus sagt: liebet eure Feinde, seget die euch stuchen, thut wohl denen die euch beleidigen und verfolgen, u. was ihr wolt daß euch die Leute thun sollen, das thut ihr ihnen auch, u. so gilt es nicht nur denen einzelnen Menschen, sondern auch ganzen Völkern, und entweder seynd sie keine Christen, oder sie müssen sich bequemen, auch diesen Gebeten Christi nach zu kommen, und also giebt es göttliches Völker-Recht, welches einen Theil der Gottes Selahtheit ausmachet. *Esti vero certissimum sit omnes homines, sicque etiam gentes, voluntati divinae obtemperare debe- re, non tamen puto ideo peculiarem iurisprudentiae gentium positivae partem esse constituendam, quippe quae non nisi communia omnium christianorum officia, ad gentes applicata, contineret.* Placent V. C. IO. AVG. HELLEFELDT hac de re meditationes, quas in Diss. Prael. *de fontibus iuris quo illustres videntur*, quae ornat frontem egregii operis, quod ex schedis b. soceri BVRC. GOTTH. STRVVI sub titulo: *iurisprudentia heroica* edendo, et pietati in b. socerum satisfacit, et orbi literato utilis existit, proposuit his verbis: *ut omnes leges sic divinae quoque aut ex recta cognoscuntur ratione, aut ex revelatione. Leges quas recta dicitur ratio omnino gentes obligant, et uniuersales omnes sunt, et hinc ad ius gentium referri nequeunt particulare. Solae igitur ex diuini legibus, quae ad ius gentium particulare referri queunt, supersunt in sacro codice reuelatae, quae vel consequendae remedia aeternae salutis proponunt, aut a Deo tanquam supremo reipublicae iudaicae legislatore sunt constitutae.* *Posteriores, licet sapientissime sanctitae,*

statui tamen iudeorum accommodatae, mutato gentium statu non obligant. Prioris vero generis leges ita sunt comparatae ut ipse Deus rectaque ratio earum observantiam homines a se invicem extorquere nolit, indeque ius haud producant in foro externo inter gentes perfectum, licet in foro conscientiae imperantes illis adstringantur omnino.

Sch. 3. Et haec sunt principia generalia iuris gentium positivi, quibus innititur sequens tractatio, quae cum desit adhuc systema huius iuris, aliunde suppleri, cumque multis dubiis obnoxia, non sine omni probatione adsumi potuerunt. Etsi itaque valde improbem consuetudinem eorum, qui cum demonstrationes nequere volunt in scriptis peculiarem doctrinam exponentibus, a primis maxime remotis principiis initium faciunt, hic tamen debui, ob iam dictas rationes, exceptionem a regula admittere.

CAP. II.

DE

CORONATIONE IN GENERE, EIVSQUE SE-
CVNDVM IVS GENTIVM POSITIVVM
REQUISITIS.

§. XI.

Coronatio est actus sollemnis, quo imperans vel eius coniux, corona aliisque insigniis ornatur, ungitur, additis variis aliis ritibus.

Sch. 1. Coronationis vox, mox in sensu latiori, mox in sensu strictiori, accipitur. Hic sumitur in significato latiori, cum in strictiori significato coronatio sit actus sollemnis, quo corona imperanti eiusve coniugi imponitur; sicque in hoc significato strictiori, pars coronationis in sensu latiori sumtae sit. Et prout in genere coronationis vocabulum hunc duplicem significatum admittit, ita in specie in Imp. R. G. corona-

ronatio Imperatoris in hoc duplici significato sumitur, ut iam monuit AUCTOR scripti *Select. Iur. publ. nov.* P. XI. cap. II. inserti: von Erörterung der Frage: Ob der erwählte Römische Kayser vor der Crönung, die Majestät-Rechte ausüben könne? §. 2.

Sch. 2. Quod in definitione coronationis aliae ceremoniae, praeter coronae aliorumque insignium applicationem et vñtionem, non in specie enarrantur, sed generaliter tantum adiciatur: *additis aliis ritibus*, neminem ut spero offendet, qui perpendit, me hic non definire coronationem in hoc vel illo regno vñtatam, sed potius in genere quamcunque coronationem, nullo habito huius vel illius regni respectu, vnde nec plures ceremoniae specificè enarrari potuerunt, quam quas vbiunque obseruari constat. Quamuis vero in omnibus coronationibus, corona aliisque insigniis ornari et vngui coronandos constat, reliquas solemnitates tamen differre ex descriptione diuersarum coronationum in diuersis regnis, quam exhibuit LUNIGIVS in *Theatro ceremoniali* Part. I. Sect. 5. cap. 10. et 11. patet.

Sch. 3. Coronarum aliorumque insignium, olei quo vñtio fit, et reliquarum ceremoniarum, veluti professionis religionis, iuramenti, creationis equitum, munerum erogationis, conuiuui, descriptio, cum ad historiam spectet, nec vllum habeat vsum in hac tractatione, merito hic negligitur. Adeat qui harum solemnitarum descriptionem legere cupit SELDENVM de *Tit. Hon.* P. I. c. 8. §. 1. p. 146. et BEGMANNVM in *Synt. Dignit. illust. Diff. V.* in specie vero quoad coronas B. SCHMEITZELIVM de *coronis tam antiquis quam hodiernis eiusque regis, speciatim de origine et factis sacre angelicae et apostolicae regni Hungariae coronae.*

§. XII.

Coronatio duplex est, vel coronatio *imperantis*, vel coronatio *coniugis imperantis*; et coronatio imperan-

rantis, vel est coronatio imperantis *futuri*, vel coronatio imperantis *praesentis*.

Sch. Constat inter omnes, si non semper, nonnunquam tamen etiam praeter imperantes, et coniuges imperantium, et nonnunquam etiam futuros imperantes, quibus tantum destinata est futura successio, coronari. Praeter has recensitas personas vero alias coronari, aut vnquam coronatas esse, exempla defunt. Cum vero effectus coronationis pro diuersitate personarum, quae coronantur differant, has diuersas coronationes a se invicem distingui necesse est.

§. XIII.

Ceremoniae seu solemnitates in iure gentium appellantur instituta, quae in negotiis gentes respicientibus, absque necessaria ratione recepta.

Sch. Ceremoniarum apparatus, quem plane ignorat ius gentium naturale, in iure gentium positiuo vtramque facit paginam, et non tantum in conuentionibus imperantium, et circa eorum legatos, ceremoniae inter gentes receptae, quamuis negari nequeat, hoc negotium, quo gentes legatos ad se inuicem mittunt, praesertim multis ceremoniis esse repletum et a tempore pacis Westphalicae ceremonias quoad legatos magis esse determinatas. Vid. BRUNNEMANN dissert. de iure ceremoniali circa legatos. Hinc manifestum est nimis restrictum esse conceptum ceremoniarum, quem exhibet STEVE in dem Europäischen Hof. Ceremoniel, qui cap. 2. §. 2. ait: das Ceremoniel ist eine unter den souverains, oder ihnen gleichenden Personen ex pacto, consuetudine, possessione eingeführte Ordnung, nach welcher sie sich, deren Gesandte und Abgesandte bei Zusammenkünften zu achten haben, damit keinem zu viel, noch zu wenig geschehe. Euoluat potius qui ambitum ceremoniarum inter gentes receptarum cognoscere vult, l. n.

ab

ab ICKSTATT *Elem. iur. gentium* L. 6. C. 3. §. 3. vbi praecipua capita seu obiecta ceremoniarum recenset,

§. XIV.

Coronatio est ceremonia. Coronatio est actus quo imperans vel eius coniux corona aliisque insigniis ornatur, vnguitur, additis variis aliis ritibus (§. 11.). At enim vero nulla ratio huius actus allegare potest, quae talis, vt ex ea intelligi possit contradictionem inuoluere esse aliquem imperantem aut eius coniugem, qui non corona aliisque insigniis ornatus, et vnctus, sicque nec habet hic actus rationem necessariam. Cum itaque coronatio institutum, quod absque ratione necessaria receptum, tale vero pertineat ad ceremonias (§. 13.), et coronatio ceremoniis adnumeranda.

Sch. Etsi itaque coronationis actus destituatur ratione necessaria, non desunt tamen rationes arbitrarie ob quas solemnis inauguratio inualuit. Malo eas *Perill. BOEHMERI*, quam meis, exprimere verbis. Ita autem ille in *Introd. in Ius publ. vniuersale* Part. spec. Lib. 1. cap. 4. §. 34. postquam coronationes nihil addere, nihil detrudere summae potestati imperantium docuerat, in nota subiecta rationes arbitrarie indicat: *Origo harum ceremoniarum quidem ex origine decori in genere repetenda est, specialiter vero ex duplici causa dirimenda esse videtur: 1) vt regiae dignitatis eo efficacius exsset iudicium, praesertim cum apud Ethnicos reges quandam diuinam venerationem à subditis postulare videantur: 2) vt subditis imperans eo venerabilior rediret.* Inde regibus solennia insignia ab antiquis temporibus attributa sunt, quae apud quascunque gentes variant, vid. *KNICHEN in oper. polit. lib. 2. p. 1. c. 5. th. 4.* Plebis enim ea est indoles vt sensibus et imaginatione plus valeat, quam iudicio. Nihil autem magis plebem ad venerationem

nem et obsequium incitat, nihil magis auctoritatem imperanti apud plebem conciliat, quam externa eiusmodi pompa. Ex hoc fonte quoque reginae coronantur, quibus tamen nulla imperii potestas competit, imo etiam hi, quibus tantum destinata est futura successio, adeoque magis ad dignitatis reginae splendorem pertinet, quam ut praecise summae potestatis character sit.

§. XV.

Etsi coronatio non nisi ceremonia sit, hoc tamen non obstat quo minus producere possit effectus. Coronatio ideo ceremonia est quoniam non habet rationem necessariam (§. 14.). At enim vero, ut aliquid tanquam causa producat effectus, hoc non dependet a ratione propter quam aliquid fieri solet, prout ex ipsa causae efficientis notione per se patet, sicque nec ideo coronatio est actus effectui suo destitutus quoniam est ceremonia.

Sch. Vix opus esset hoc moneri, nisi plerumque hoc argumento vterentur, qui omnes coronationi, praesertim secundum ius naturae, denegant effectus, sicque vix eius mentionem faciunt, addita ratione, quoniam est meta solemnitas.

§. XVI.

Coronatio non est iuris naturalis, sed potius moribus originem debet. Cum coronatio pertineat ad ceremonias (§. 4.), omnes omnino ceremonias vero ius naturae ignoret, cum non habeant rationem necessariam (§. 13.), quod et coronatio non sit iuris naturalis manifestum est.

At enim vero inualuit tamen coronationis ritus, qui cum per demonstrata non sit iuris naturalis, nec unquam

Gentes

Gentes per foedus quoddam generale se obstrinxerit ad hunc ritum introducendum (*Obferu. 1.*), moribus eum debere originem adparet.

Sch. Et talem originem coronationem habuisse, testatur historia, ex qua tamen constat, hunc ritum inaugurandi Imperantes, non vnicum esse, quo gentes vsi, nec in ea praecise forma statim ab initio in vsu fuisse. Apud Germanos olim ritum scuto extollendi principem ad designanda regni auspicia, in vsu fuisse constat inter omnes; de quo ritu exstat elegans SCHWARTZIANA *Diss. de antiquo ritu, eleuandi principes inaugurandos, et de quibusdam sacris formulis et eleuandi caerimoniis.* Nec minus etiam per haetae traditionem regimen susceptum esse, tandemque etiam coronationem striete sic dictam, atque vnctionem inualuisse docet, *Illustr. MASCOVIVS in Diss. de regali imperialiue Augustorum Germaniae Augustarumque coronatione Cap. 1.*

OBSERVATIO II.

Ex quo tempore inualuit regalis vnctio inter Christianos ex pristino more Iudaeorum, vnctionis ritus peractus a personis ecclesiasticis, prout iam apud Iudaeos vnctio erat sacerdotalis actus; et prout successiue pleraque christiana regna hunc morem introduxere, primariis regnorum Clericis haec functio peragenda demandata, ita, vt in plerisque regnis certi Praefules ecclesiastici constituti, quibus ius vngendi per leges fundamentales concessum. Rationem huius consuetudinis indicat, qui et eam testimoniis confirmat BECMANNVS in *Syntagmate Dign. illustr. Diss. V. Cap. II. et Cap. I. §. 2.* Non tamen semper vnctio a regnorum Metropolitanis facta, sed potius recte obseruat DN. de LVDEWIG in *Diss. de Auspicio Regum.*

C

Cap.

Cap. IV. §. Inueniuntur in historia varii reges, quos superstitio egerat, ut Romam contenderent ad consecrationem a Pontifice reportandam, relictis domi Metropolitanis, quibus alias haec sparta fuerat commissa.

OBSERVATIO III.

Quamuis vero iam ab origine vnctionis ad nostra vsque tempora, vnctio a praecipuis regni clericis peragi soleat, coronae impositio tamen, quae constituit coronationem in specie sic dictam, non semper a personis ecclesiasticis peracta, quamuis cum vnctionis ceremonia et hanc ad se traxerint clerici, indeque etiam haud raro a clericis peragi soleat. Sic notum est, quam quod notissimum, nonnunquam coronandum sibi ipsi coronam imponere, quod iam antiquissimis temporibus LYDOVICVM PIVM iubente patre CAROLO, fecisse, narrat inter alios THEGANVS de gestis Ludon. pii Cap. VI. Imperator Karolus - - - habuit grande colloquium cum eis (Proceribus et populo). Aquisgrani in palatio - - - interrogans omnes a maximo vsque ad minimum, si ei placuisset, ut nomen suum, id est, Imperatoris filio Ludouico tradidisset. Illi omnes responderunt: Dei esse admonitionem illius rei. Quo facto perrexit ad Ecclesiam, peruenitque ante Altare super quod coronam auream aliam, quam ipse gestabat in capite suo iussit imponi. Postquam diu orauerunt, ipse, et filius eius, locutus est ad filium suum coram multitudine Pontificum et Optimatum suorum. - - - Tunc iussit eum Pater, ut propriis manibus coronam, quae erat super altare, eleuaret, et capiti suo imponeret. Huic antiquissimo exemplo varia recentiora

tiora iungi possunt, ubique obuia. Nonnunquam etiam patres filiis coronas imposuisse legimus, quod ipsum Ludovicum Pium fecisse constat. Nonnunquam alii Laici hoc officio funguntur, veluti in recentissimis germanicis coronationibus Legati absentium Archiepiscoporum.

§. XVII.

Publici actus commode dispesci possunt in *ecclesiasticos*, si respiciunt negotia ecclesiam respicientia, qui etiam appellari solent *hierarchici*; et *politicos*, qui respiciunt negotia ecclesiam non respicientia.

§. XVIII.

Cum clerici non absolute inhabiles ad negotia, ecclesiam non respicientia, peragenda; *non omnes actus a clericis peragendi statim sunt actus ecclesiastici*. Cumque nec valeat consequentia a ceremoniis ecclesiasticis, qui in actu peragendo adhibentur, ad ipsam actuum qualitatem; *etsi ceremoniae ecclesiasticae adhibeantur, in actu quodam peragendo, ideo tamen nondum sequitur, eum esse actum ecclesiasticum*.

His praemissis, in hoc capite tria tractanda sunt 1) de Coronationis qualitate (§. 19-22.) 2) de iis, qui coronari possunt (§. 23. 24.) et 3) de iure coronandi et coronantis qualitatibus (§. 25. 26. 27.).

§. XIX.

Gentes non sunt perfecte obligatae, ut in coronatione obseruent eam coronationis formam, quae huc usque a gentibus obseruata, quamvis contra decorum gentium positivum ageret gens, quae plane negligeret formam coronationis, quae inter gentes usu inualuit.

C 2

Cum

Cum alterius gentis non intersit, qua forma adhibita, apud hanc gentem coronatio peragatur, nec debet nec potest gens loqui, siue hac, siue illa forma peragatur coronatio. At enim vero is demum tacite consentit, qui loqui debuisset et potuisset, nec tamen loquitur, hincque nec innumera multitudo coronationum secundum certam formam peractarum operatur tacitum consensum gentium, hac forma usitata coronationes esse peragendas. Vbi autem deficit consensus gentium tacitus, ibi deest obseruantia gentium (§. 4.) hinc forma coronationis inter gentes haecenus usitata non inuoluit obseruantiam gentium, vi cuius coronationes, hac praecise forma obseruata, peragendae.

Cum tamen forma coronationis, quae usu inualuit, contineat gentium actus saepius repetitos, sicque mores gentium constituat (§. 5.) qui non degenerant in obseruantiam gentium (per Demonstr. nu. 1.). Quoties vero mores gentium non degenerant in obseruantiam gentium, inde oritur decorum gentium (§. 8.). Contra decorum gentium itaque ageret gens, quae plane negligeret, quae usu inualuit, coronationis formam.

Sch. Quamuis vero alias in actibus sollemnibus etiam ad minimas circumstantias respici solet, earumque defectus eos inualidos reddat, quod tamen in istiusmodi actibus, in quibus forma non nisi ob decori rationem obseruanda, non tam stricte inhaerendum sit omnibus et singulis sonnitibus, ex ipsa decori natura et indole facile patet. Quod vero praxis adstipuletur meae sententiae patet ex noua et gloriosa coronatione FRIDERICI I. Porussorum Regis gloriosae memoriae, quam accommodatam esse ad formam coronationis in aliis regnis usitam, docet inspectio descriptionis huius Coronationis, quae sub titulo: *Preussische Krönungs-Geschichte* prodit.

§. XX.

Coronatio, quatenus constat ex coronae aliorumque insignium applicatione, non est negotium ecclesiasticum, nec tale quod ex clericis peragendum; quatenus vero unctionem sub se comprehendit per se quidem non est negotium ecclesiasticum, sed moribus tale factum quod a clericis peragendum, ita tamen, ut non sit negotium ecclesiasticum, sed potius negotium politicum. Coronae aliorumque insignium applicationem, quae in coronatione fit, secundum suam naturam et essentiam, non esse actum, religionem vlllo modo respicientem, sicque talem, qui ecclesiam respicit, per se patet. Sed et ne quidem moribus inualuit tantum a clericis coronae aliorum insignium applicationem fieri (*Observ. III.*); quod itaque, quoad hunc actum, coronatio non sit negotium ecclesiasticum, nec moribus tale factum quod a clericis peragendum, dubio caret (§. 17.).

Cum vero unctio coronandi sit illinitio certarum corporis partium oleo facta, quis non videt itidem hunc actum per se talem non esse qui respicit ecclesiam, hincque nec per se est ecclesiasticus (§. 17.).

At enim vero cum historia doceat, unctiones a prima origine ad nostra vsque tempora a Clericis esse peractas (*Observ. II.*); per mores hoc negotium factum clericorum negotium.

Est autem constitutio imperantium in rebus publicis negotium domesticum cuiuslibet reipublicae. Quo iure vero utimur in constitutione, eo iure etiam vti debemus in omnibus sollempnitatibus et ceremoniis, circa constitutionem imperantis obuenientibus, ad quas etiam

pertinet tota coronatio, quae itaque non est negotium ecclesiam, sed potius negotium rempublicam, cuius superior coronandus, respiciens, sicque hoc negotium ecclesiasticum negotium non est, sed potius negotium politicum (§. 17.).

Sch. AUCTOR scripti, quod haud ita pridem prodiit, sub titulo: *An Electores Archiepiscopi, Moguntinus aut Colonien- sis, sacro pallio duntaxat carentes, rite inungant Germanorum Regem?* qui prout ipse fatetur, pontificiae religioni addictus, et de quo recte iudicat MOSERVS: Er schreibt, als ein ehrlcher Teutscher, so, daß es zuweilen nicht nach dem Geschmack des Römischen Hofes seyn wird, vid. Eius Beytrag zu dem neuesten Staats-Recht und Staats-Historie Teutschlandes 1ster Theil 12tes Capitel S. 6. non sine fundamento itaque defendit §pho. XXVIII. actum coronationis, non esse actum ecclesiasticum hierarchium, sed *mere*, vt ait, *domesticum*, quae non tam ecclesiae solennitas est, quam Regni et nationis, non profecta ex concessione Papae, neque huius ordinationi vlllo modo subiecta, cum solum Germaniae Ordinum sit determinare, an Rex eorum, a quo, quando, vbi, et quo ritu sit coronandus. Quod vero, quae hic de Germania dicuntur, in genere valeant de omnibus Rebus publicis, manifestum est.

§. XXI.

Vnctio regalis secundum Ius Canonicum non est actus ordinis. Actus ordinis secundum Ius Canonicum, dicuntur ii, quo res vel persona habilitatur ad ministerium Altaris, aut ipsum Sacramentum confertur. At enim vero per vnctionem nec coronandus ad ministerium Altaris habilitatur, nec per eam Sacramentum confertur, hincque nullo modo potest secundum Ius Canonicum ad actus ordinis referri.

Schol.

Sebol. Vulgo unctio regalis refertur ad ordinis actus, quamvis ne quidem veritatis speciem habeat haec sententia. Non enim valet de hac unctioe seu consecratione, quod de aliis consecrationibus valet. Prout etiam inde, quod dentur consecrationes, quae ad actus ordinis pertinent, nondum sequitur, omnes consecrationes ad actus ordinis esse referendos, sed potius respiciendum ad finem & effectum consecrationis, indeque aestimandum, an ad iura ordinis referri debeat, vel non. Unde veritati consentanea sunt CONRINGII, in *Affertione Iur. Mogunt.* verba: *Nec enim consecratio illa regia sacrum characterem imprimit, aut vere movetur accenseri numero consecrationum aliarum, sed potius externa quaedam est ceremonia, ad exemplum moris Hebraeorum composita, idque acuo sequiori tantum inter gentes Germanicas atque Sarmaticas.* Vid. AUCTOR scripti (not. ad §. 20.) allegati §. XXI.

§. XXII.

Ceremonias in coronatione adhibendas Ius Gentium non determinat, ita, ut ne quidem Imperantes Catholici obstricti sint ad formam unctiois, Iure Canonico praescriptam, observandam. Ponamus iure gentium determinatam esse coronationis formam, aut Ius gentium naturale, aut ius gentium positivum, eam determinare necesse est (§. 2.). Non vero eam determinat Ius gentium naturale, cum iuris naturaralis non sit coronatio (§. 16.), nec determinat eam Ius gentium positivum generale, cum illud non nisi in observantia nitatur (§. 10.) inde vero non oriatur observantia Gentium, quod hoc vel illo modo hactenus peracta a gentibus coronatio (§. 19.); hinc plane non est determinata forma coronationis secundum Ius Gentium.

Quamvis vero Imperantes Pontificij, Conciliorum
cano-

canones & Pontificum decreta obseruare debeant, haec obligatio tamen nonnisi in causis ecclesiasticis locum habet (§. 10.) qualis cum non fit coronatio (§. 20.) nec Imperantes pontificii obligati sunt, vt obseruent formam vnctionis in Iure Canonico praescriptam.

OBSERVATIO IV.

Moris esse inter Gentes, reges tantum, non alios Imperantes, etsi sint summi Imperantes, vngi, tam notum est quam quod notissimum. Ne tamen sine omni auctoritate loquar, testimonium denuntio LYDEWIGIO, testi in his rebus omni exceptione maiori, qui in *Commentar. ad A. B. Tit. IV. §. 1. not. n. p. 456.* obseruat: Die Gewohnheit hat die Salbung auf die Königs-Cronen eingeschräncket, so daß ich keinen souverainen Herzog wüßte, der sich jemahls zum Herzog salben lassen wollen. Ohngeachtet man nicht allein Königs-Cronen, sondern auch Fürsten-Cronen zu machen pfeget.

§. XXIII.

Secundum ius gentium quilibet summus imperans, etsi non splendeat Regis titulo, sed nonnisi Ducis auctoritate utatur coronari potest, quamuis eos, qui non sunt reges vngi, decorum gentium non permittat. Cum supremi imperantes a se inuicem natura sint independentes, nec voluntate sua leges sibi constituerunt de ceremoniis in inaugurationibus obseruandis, cum nec expressa voluntas adsit (Observ. 1.), nec tacita voluntate talis obseruantia gentium oriri possit (§. 19.); quod quicumque summi Imperantes coronari possint patet.

At vnctionis ritus secundum gentium mores haecenus

Genus non nisi a Regibus frequentatur (*Observ. IV.*), si itaque Dux aliusque Imperans regio titulo non splendens vngeretur, permissuarum actionum determinatio, aliarum gentium actionibus conformiter haud fieret, sicque hoc foret contra gentium decorum (§. 7.).

Sch. Notes velim, me hic non loqui de iure regiam dignitatem sibi adserendi, cui illustri iuris gentium positiui argumento iam satisfecit de LVDEWIG in tribus opusculis *ETVS Opusc. Miscell. P. I. nu. 1. 2. 3.* insertis, cui iungi potest KEMMERICH *Diss. de Corona Regi Borussiae a Deo data.* Quod enim coronationis ceremoniae, et ad regiam dignitatem adscensus, differant toto coelo, manifestum est. Absona itaque esset consequentia a coronatione, ad regiam dignitatem, ducta.

§. XXIV.

Gens, quae prae aliis sibi aequalibus, aut quatenus saltem aequales sunt, se extollit, dicitur fastuosa, seu superba (*ICKSTATT Elem. Iur. Gent. Lib. II. Cap. I. §. 21.*). Extollit vero se omnino prae aliis aequalibus gens ista, cuius Imperans regia dignitate destitutus, regias ceremonias, ad quas pertinet unctio regalis (*Obs. IV.*) adferat: hinc *fastuosa esset Gens, cuius Imperans regia dignitate destitutus, solenni unctione inauguraretur.*

§. XXV.

Pontifex, etsi supremus in Ecclesia Romano-Catholica sit Monarcha, ideo tamen negotia, quae non sunt ecclesiastica, sed potius politica regni, vi suprematus sui ad se pertinere, defendere nequit, quamdiu specialis acquisitio probari nequit; quod uti ex natura suprematus, quo gaudet Pontifex, ita et ex textibus Iuris Canonici et testimonijs Pontificiorum probari potest.

D

Videbis

Videfis LVDEWIGIVM in Opusc. *Neniae Pontificis de iure reges adpellandi*. Cap. II. §. 8. At enim vero coronatio non est negotium ecclesiasticum, sed potius negotium politicum (§. 20.). *Pontifici itaque non competit Ius coronandi, nisi speciatim probari possit, ad hanc vel illam coronationem peragendam ius sibi acquisiuisse.*

Sch. 1. Non est, quod obicias, Pontifici vi obseruantiae Gentium competere ius coronandi, cum ex Historia Saeculi VI. vsque ad Saeculum XI. satis constet, Christianos Reges antiquissimorum regnorum Romam adiisse, ibidemque a Pontifice coronam sibi imponi, et ab hoc supremo Episcopo vngi curasse. Sed, vt taceam, hodie hanc superstitionem Reges non amplius permouere, vt Romam ad eam, sicque per contrariam obseruantiam hanc, si eam pro tali agnoscere velles, iam esse abrogatam, hi actus, etsi centum allegare posses, nunquam efficient obseruantiam gentium, cum ex libero arbitrio agentium suscepti, sicque alios ad imitandum non obligare, nec Pontifici imitationem postulandi ius dare possint.

Sch. 2. Etsi vero secundum Ius Gentium positium generale, Pontifici non competat ius coronandi, Ius Gentium particulare tamen suppeditat exempla iuris coronandi Pontifici competentis. Quoad Germanos enim constat, Pontifici ius esse, coronationem Imperatoris Romanam, neutiquam vero Germanicam aliasque peragendi, etsi Imperatores hanc coronationem negligere possint, cum leges imperii fundamentales eos non amplius ad hanc, sed tantum ad Germanicam coronationem adstringant *Capitulat. nouiss. Art. III. §. 8.* et negligant eam iam a CAROLO. V. ad nostra vsque tempora, salua imperiali dignitate.

§. XXVI.

Coronationem, et praecipue vnctionis ritum, inter sollemnia eius adhibendum, a persona ecclesiastica fieri, iure

iure gentium non absolute necessarium; quamvis decorum gentium vñtionem a primariis regni clericis fieri postulet, etsi coronandus sit pontificiae religionis addictus, ita ut non obligatus sit vñtionem clerico requisitis secundum ius canonicum ad consecrationes peragendas necessariis instructo, committere. Cum coronatio per se non sit actus ecclesiasticus (§. 20.), nec a clerico eam peragi ad formam legitimam iure gentium requiritur.

Quoniam vero moribus inualuit, vñtionis ritum peragi a primariis Regni clericis (*Observ. II.*), & si forma coronationis, quae vñtu inualuit, negligitur, decorum Gentium violetur (§. 19.); decorum gentium vñtionem a primariis Regni clericis fieri postulat.

Cum autem nec pontificiae religioni addicti, obligati ad obseruanda ea, quae de vñtione regia disponit Ius Canonicum (§. 22.), nonnisi decorum Gentium postulat, etiam quoad coronandos pontificiae religionis, vñtionem a primariis regni clericis fieri. Sed & nequidem ad actus ordinis pertinet vñtio regalis (§. 21.), hincque nequidem necesse est coronandum pontificiae religionis committere vñtionem clerico, requisitis secundum Ius Canonicum ad consecrationem peragendam necessariis, instructo.

Schol. Moneo, iterumque moneo, me hic nonnisi de ceremoniis coronationis loqui. Nego enim & pernego, Pontificem vel clericum vñtionis actum peragentem, per eum conferre regiam dignitatem, sicque Pontifici competere ius Reges adpellandi, etiam quoad Catholicos. Nego & pernego etiam clericum coronantem seu vnguentem

tem, hoc tanquam vicarium Pontificis facere, est enim coronatio actus Regni, non vero actus hierarchicus.

§. XXVII.

Si coronatio vi legum regni fundamentalium peragitur ab Archiepiscopo regni, is eam non peragit tanquam vicarius Pontificis, nec requiritur eum esse palliatum. Cum quod quis ipse non habet, in alium transferre nequeat, & Pontifex non habeat secundum ius Gentium ius coronandi (§. 25.); nec Archiepiscopus coronans tanquam vicarius Pontificis agit.

Constat vero inter omnes ex mente Iuris Canonici Archiepiscopos ideo esse debere palliatos, vt possint peragere actus ordinis episcopalis, ad quos cum non pertineat coronatio (§. 21.), nec Archiepiscopum coronantem palliatum esse requiritur.

CAP. III.

DE

CORONATIONIS INTER GENTES EFFECTIV.

§. XXVIII.

Coronationis effectus in genere duplicis generis sunt. Alios enim coronatio producit effectus respectu *subditorum*, alios respectu aliarum *gentium*. Mitto iam effectus quos respectu subditorum producit, & tantum de effectibus eius inter gentes eruendis ero sollicitus. Refero vero ad effectus coronationis inter gentes omne id, ad quod agendum vel non agendum vi coronationis gentes sunt obligatae, cum tamen absque coronatione talis non adfuisset obligatio.

Sol. Quamuis non quidem in ea sim haeresi acsi coronatio secundum ius publicum naturale seu vniuersale transla-

translationem imperii, vel facultatem translatum exercendi tribuat, quem effectum recte coronationi denegat FRISCHIVS in *Iur. Pub. Univ.* §. 236. non tamen ideo coronatio est actus, nullos omnino quoad subditos producens effectus, etiam secundum ipsum ius publicum uniuersale. Praeterea vero secundum ius publicum posituum, pro regnorum diuersitate variae obueniunt quaestiones de coronationis effectibus, de quibus omnibus tamen pluribus agere praesens institutum non permittit.

Scb. 2. Dantur quidem adhuc alii effectus coronationis qui proprie nec subditos nec gentes respiciunt, veluti potentia firmas aliosque morbos curandi. Sed fabulis immorari nolo.

§. XXIX.

Differunt vero effectus coronationis inter gentes, prout coronatio vel prima coronatio est, vel coronatio repetita. Appello vero coronationem *primam* si nullus antecessorum iam coronandi vnquam coronatus, *repetitam* vero si antecessores etiam coronati.

§. XXX.

Ipsi effectus coronationis inter gentes sunt duplicis generis; aut tales qui personam quae coronatur non egrediuntur, quos dico *personales*, aut tales qui personam coronati egrediuntur, ita vt de iis etiam alii participant, quos appello *reales*.

§. XXXI

Regnum (ein Königreich) secundum ius gentium posituum, dicitur respublica cuius forma vel monarchica vel ex monarchica & alia forma mixta, cui solenni declaratione nomen regni imposita, & imperans regni dicitur *Rex*, *Regia dignitas* (die Königliche Würde.)

D 3

vero

vero dicitur qualitas, vi cuius quis fruitur praerogatiuis quae Regibus prae aliis Imperantibus competunt.

§. XXXII.

Data regni & Regis notio est genuina. Respublicas tam, quam Imperantes in iis, diuersis nominibus insigniri, aliasque comitatus, alias ducatus, alias regna, alias aliis nominibus a inuicem distingui, indeque earum rectores titulis, Comitis, Ducis, Regis, aliisque superbire constat. Haec diuersa nomina vero, cum per se non competant rebus publicis eorumque imperantibus, vsu gentium inualuisse necesse est. Cum itaque regni & regis titulus, vt de eo tantum dicam, vsu gentium inualuit, nec hic titulus vnicus est qui vsu receptus, necesse est aliquem characterem adesse ex quo reipublicae cuiusdam regni nomen competere, hincque eius rectorem Regem appellandum esse, cognosci potest. Hic character vero aut latet in differentia imperii seu potestatis ciuitatis in diuersis rebus publicis, aut in reipublicae amplitudine, aut in solenni declaratione. Quod in differentia quae est inter diuersas respublicas, quoad imperium ipsum quod in ea exercetur, non lateat, inde patet, quoniam omnis differentia secundum imperium aut in eo consistit quod sit imperium vel summum vel subordinatum, aut vel limitatum vel illimitatum. Ex historia vero constat dari regna in quibus summum obtinet imperium, dari vero etiam regna in quibus non nisi subordinatum imperium obtinet, & non solum summos Imperantes Reges appellari, sed & tales qui alios superiores aliquo modo habent, vid. de *LYBESWIC de iure appellandi reges* Cap. 1. §. 9. *Opusc. Misc. T. 1, n. 1.* Nec minus per vulgarem experientiam notum, regna et reges inter se quam maxime

xime differre, quoad limites imperio per leges fundamentales positos, & plures inter eos non nisi limitato imperio gaudere. Quod vero nec reipublicae amplitudo constituat characterem distinctiuum inter regna, aliasque reipublicas hoc nomine carentes, omnis aevi historia factis docet. Quodsi itaque differentia inter regna aliasque respublicas, hincque etiam inter Regem & alios Imperantes hoc titulo destitutos, non lateat in diuersitate ipsius imperii, nec in diuersa amplitudine reipublicae eam a solenni declaratione deriuandam, hincque datam Regni & Regis notionem genuinam esse patet.

Sch. Rem acu itaque tetigit, morum gentium si quis alius gnarus, LVDEWIGVS, in *Diss. de auspicio regum* §. 3. qui, postquam in eruendo regii tituli significato stylum oratorium a curiali distinguendum esse monuerat, ait: *Meretur vero stylo curiali is Rex dici: qui summam in alios habet potestatem. Consuetudines tamen gentium hodie in mores inluxerunt ut publica & solennis quo de voluntate summi imperantis consistet, peteretne regios honores, tituli praeterea regi accederet declaratio. Describimus ergo Regem moribus populorum hodiernis: personam quae summam in alios usu solenni tenet potestatem.* Vid. etiam ERVS *Diss. de iure appellandi reges*, cuius totum primum caput de reconditis sensibus verbi regalis agit, et praefertim §. XIV.

§. XXXIII.

Per coronationem fit regiae dignitatis publicatio.
Non nisi Reges coronantur (*Obs. V.*). Qui itaque coronationis solennitatem adhibet, declarat se velle Regibus se associare: Rex vero qui est is gaudet regia dignitate (§. 5.), hinc per coronationem fit regiae dignitatis publicatio.

Sch.

Sob. Solent ideo multi coronationem definire per regiae dignitatis publicationem. Vid. BECMANN *syn. dign. illustr. Diss.* 5. c. 1. §. 1. FRITSCH *Iur. Publ. Univ.* §. 236. Sed falsa est haec definitio. Datur enim etiam Imperatoria coronatio ad quam itaque haec definitio nequit applicari, nec hic coronationis effectus in definitione gratis adsumendus, sed demonstrandus.

§. XXXIV.

Si hodie respublica quae hactenus comitatus seu ducatus fuit in regnum convertenda, Imperantem coronari necesse est. Respublica regnum fieri nequit nisi per solennem publicationem (§. 31). At enim vero coronatio continet solennem publicationem regiae dignitatis (§. 33), qua publicata Imperans fit Rex et respublica quam regit regnum (§. 31), et hic publicandi modus inter plures possibiles hodie semel per gentium mores receptus, quilibet vero qui aliquid publicare vult obstrictus ut utatur signis ad eum effectum receptis; si itaque hodie respublica quae hactenus comitatus seu ducatus fuit in regnum evehenda Imperantem coronari necesse est.

§. XXXV.

Est itaque primae coronationis effectus comitatio reipublicae, quae hactenus regnum non fuit, in regnum. Cum vero reipublica quae iam regnum est, tale per coronationem demum fieri nequit; hic effectus repetitae coronationi tribui nequit. (§. 29.)

§. XXXVI.

Si antecessores coronati, successores salva regali dignitate coronationem omittere possunt. Cum iam per primam coronationem constituatur regnum (§. 35) qui
vero

vero imperat regno fit Rex, & qui Rex ei competat regia dignitas (§.31); si antecessores coronati salua regia dignitate successores coronationem omittere possunt.

Potest etiam sequenti modo haec propositio demonstrari. Coronatione fit publicatio regiae dignitatis (§.33), iam vero ab absentia publicationis regiae dignitatis non potest concludi ad absentiam ipsius dignitatis regiae; hinc possunt successores, si antecessores coronati, salua dignitate regia coronationem negligere.

§. XXXVI.

Cum licet diuersus imperium in regnis acquirendi modus obtineat, regna tamen ideo regna maneant, vi demonstrationis antecedentis, *sive regnum sit electivum sive successivum, quando antecessores coronati, successores salua regia dignitate coronationem omittere possunt.*

Sol. Maxima, si quid video, est similitudo inter coronationem & inuestituram, cum coronatio quasi inuestitura regia fit. Provt itaque sub inuestitura primi acquirentis comprehensi omnes eius successores, ita sub prima coronatione primi Regis comprehensi omnes in regno successores, sique successores coronantur fit quasi renouatio coronationis, prout sub prima inuestitura iam comprehensi inuestituram renouant.

§. XXXVII.

Celsitudo regia (Son Altesse Royale, Königlische Hoheit) dicitur, qui quaeue a regibus descendit, nec tamen imperat regno vel Regis coniux est.

§. XXXVIII.

Titulus celsitudinis regiae est effectus coronationis. Cum titulus celsitudinis regiae iis tribuatur qui a regibus descendunt (§.37), vt vero respública fiat re-

E

gnum

gnum & per consequens vt Imperans Regis titulum acquirat (§. 31) per coronationem efficitur (§. 34); est titulus regiae celsitudinis itaque coronationis effectus.

Sch. Hinc patet hunc titulum ipso iure competere iis qui ex regio sanguine nati sicque non necessarium esse concedi eum ab Imperante omnium dignitatum & titulorum in re publica fonte quidem, sed non talium, qui vi natiuitatis iam competunt. Ill. SCHMAVSS. *Compend. iur. Publ.* L. 2. C. 4. §. VI. FABRI *Staats. Canzelen* T. L. Cap. 14. P. 777.

OBSERVATIO V.

In germania Imperans facta electione vtitur titulo electi Regis Romanorum, quamprimum vero coronatio germanica facta, qui antea titulo regis romanorum electi vtebatur, titulo electi Imperatoris Romani vti incipit, si est electus tanquam praesens Imperans, titulo Regis Romanorum sine addito vero, si est electus tanquam futurus Imperans, coronatione imperiali romana nondum impetrata vero, non simpliciter titulo Imperatoris Romani vtitur, sed potius titulum electi Imperatoris Romani per germanicam coronationem impetratum continuat, donec coronatio imperialis Romana sequitur. Notum est enim quam quod notissimum ante MAXIMILIANVM I in germania Imperantes vel Reges Romanorum appellatos esse, si nimirum a Pontifice nondum erant coronati, vel Imperatores, Romanos, si a Pontifice erant coronati, licet Francofurti A. 1338. decretum, electum statim post electionem Imperatorem Romanorum esse nominandum. Vid. SCHMAVSS. *Corp. Iur. Publ. Acad.*

n. 2. p. m. 2. MAXIMILIANVS vero primus fuit, qui coronatione imperiali romana nondum facta, titulo Imperatoris, sed non simpliciter, verum cum addito: *electi* uti coepit. Occasionem narrat MÜLLERVS in dem Reichs-Tags-Staat, Lib. 5. Cap. 6, intentionem suam ipse Maximilianus vero declarat in dem Circular Schreiben an die Reichs-Stände de 1508. apud SCHMAVSSIVM in Corp. Iur. Pub. n. VII. p. m. 48. MAXIMILIANVM vero ad hunc vsque diem imitari, modo antea explicato, eius successores, cuilibet acta publica euoluenti patebit. Sic enim iam primus eius successor CAROLVS V. in reuerfalibus Collegio electorali datis se ELECTVM ROMANORVM REGEM appellat. v. Gegenwärtige Verfassung der Kaiserlichen Regierung in Teutschland p. 713. & Protocollum electionis CAROLI V. apud GOLDASIVM politischer Reichs-Handel p. 14. seq. Peracta coronatione germanica vero statim titulo ELECTI IMPERATORIS ROMANORVM vsus. GOLDASTVS l. c. p. 55. & Reichs-Satzungen P. I. p. 244. Et in hunc vsque diem hunc morem obseruari docent recentitissimae capitulationes & alia documenta quae post electionem & ante coronationis solennia expediri solent. v. Reversales CAROLI VI. in der gegenwärtigen Verfassung p. 713. & CAROLI VII. & FRANCISCI apud MOSE- RVM in suis capitulationum editionibus.

§. XXXIX.

Coronatio germanica Imperantium in germania operatur tituli Regis Romanorum vel electi Imperatoris romani vsus, & a coronatione imperiali romana dependet tituli imperatoris vsus. Cum ante corona-

E 2

tionem

tionem germanicam Imperantes germaniae non utantur titulo Regis Romanorum vel electi Imperatoris Romanorum, post eam vero eo utantur, (*Observ. V.*); quod germanica coronatio hos effectus producat est manifestum.

Et cum etiam ante coronationem imperialem romanam non utantur Imperantes in germania titulo Imperatoris Romani, post eam vero utantur eo (*Observ. V.*); quod a coronatione imperiali romana pendeat usus tituli Imperatoris Romanorum itidem patet.

§. XL. *Sanctitas imperantium* dicitur eorum inviolabilitas singularis. Inviolabilitas vero dicitur *singularis*, si singulari poena munita.

Schol. Prout violari quis potest nonsolum immediate sed & mediate, ita etiam sanctitas nonsolum immediate imperantis personae competit, sed & extenditur ad alias personas, imo etiam ad res. Hinc notum est etiam residentiis tribui sanctitatem. Vid. STRYCKII *Diss. de residentiarum sanctitate.*

§. XLI. *Cultus regius* dicitur complexus singulorum honoris & reuerentiae signorum, qui Regibus exhiberi solent.

Schol. Singularis Regum eminentia merito postulat singularem reuerentiam, quem etiam ab antiquissimis temporibus Regibus tribui constat, ita ut veteres in excessu potius, quam in defectu peccauerint. Pertinent vero ad cultum regium, *genusflexio, oscula, adoratio*, alique ritus varii. BECMANN *Synt. Dign. Illustr. Diss. VIII. Cap. 1. Et 2.* Pertinent quoque ad cultum regium solennitates quae exhibentur in specialibus pompae solennis descriptionibus, quoad ordinem procedendi, campanarum sonitum,

tormentorum bellicorum tonitrua, tubarum clangorem, arcus triumphales, cereas & incensa, faustivas acclamationes & similia alia, quae in *theatro* & *diario Europaeo* aliisque actorum publicorum collectionibus passim extant. Nota etiam est apotheosis apud gentiles, de qua egregium commentarium historicum edidit SCHOEPLINVS *De Apotheosi sive consecratione Imperatorum Romanorum.*

§. XLII.

Regia sanctitas & cultus regis a coronatione non dependent, sed potius sanctitas regis non coronati eadem est cum sanctitate regis coronati, & idem cultus debetur regi non coronato, qui debetur regi coronato. Regiam dignitatem esse vnicum sanctitatis regiae & cultus regii fundamentum per se patet. Cum itaque non ipsa regia dignitas conferatur per coronationem, sed potius coronatio non nisi publicationem regiae dignitatis inuoluat (§. 33.); nec regia sanctitas regiusque cultus a coronatione dependent.

Quicquid vero a coronatione non dependet id nec per coronationem augetur & minuitur; hinc sanctitas Regis non coronati eadem est cum sanctitate Regis coronati, & idem regius cultus qui debetur Regi coronato, debetur etiam Regi non coronato.

Schol. Distinguendum itaque inter effectus quos reuera producit coronatio, & eos qui ex opinione hominum, praesertim plebis, pro talibus habentur. Vid. Schol. ad §. 14. & SPENERI *Teutsches Staats-Recht* L. 4. Cap. §. 3. n. 4.

§. XLIII.

Praecedentia regum est prioritas loci in ordine a pluribus simul obseruando regibus competens; eaque duplex

duplex est praecedentia Regum inter se, & praecedentia inter reges & alios qui Reges non sunt.

§. XLIV.

Praecedentia regum non dependet a coronatione.

Et si secundum ius gentium naturale iure perfecto vni genti non competat praecedentia prae alia gente, secundum ius gentium posituum tamen praecedentiam quandam inter gentes inualuisse, noto notius est. Fundamentum huius praecedentiae vero, est vel obseruantia gentium, vel pactum (§. 10.). At enim vero neque per obseruantiam inualuit a ceremonia illa, qua coronatio fit, praecedentiam dependere, neque tale pactum, quo gentes in genere praecedentiam secundum coronationem determinauerint, adest (*Obs. J.*); hinc Regum praecedentia a coronatione non dependet.

Schol. 1. Hoc interim non nego, coronationem aliquid conferre posse ad praecedentiam. Notum est, secundum ius gentium posituum Imperatores & Reges similesque Monarchas, prae rebus publicis liberis in specie sic dictis, priorem locum obtinere. Quod si itaque populus liber Regem sibi praeficit isque prout necesse est coronatur (§. 34.), omnino coronatio, etsi non tribuat praecedentiam, sed potius noua dignitas eam operetur, tamen aliquid confert ad eam acquirendam.

Schol. 2. Principia ex doctrina de praecedentia gentium deprompta ad quae in ipsa demonstratione prouoco, hic demonstrare a scopo meo alienum, vnde nec iis immorari volo. Euoluat qui de iis dubitat HOEFMANNI Diss. de fundamento decidendi controversias de praecedentia inter gentes & KAHLII Diss. de praecedentia gentium.

§. XLV.

Et si Rex non sit coronatus, corona tamen aliisque

que insigniis eum uti, eique ea in solemnibus actibus praeferrri, ne quidem decoro gentium repugnat. Cum enim coronae aliaque insignia cultui regio inseruiant (§. 41.), regius cultus vero non differat siue Rex sit actu coronatus siue non (§. 42.), nec is contra decorum agat qui signis honoris sibi competentibus utitur; Et si Rex non coronatus corona tamen aliisque insigniis eum uti, eique ea in solemnibus actibus praeferrri, ne quidem decoro gentium repugnat.

Sch. Quodsi coronae essent signum factae coronationis, prout primo intuitu videtur, omnino inconueniens foret non coronatum uti tamen coronis. Sed non video quo iure defendi possit, coronas praecise symbolum coronationis factae esse, sed potius inseruiunt tantum coronae, prout reliqua insignia, pompae & splendori, sicque earum usus non praecise praesupponit factam esse coronationem. Vid. *LVDEWIG* ad A. B. T. 26. p. 632. n. e.

§. XLVI.

Coronationis solennia gentibus vicinis amicis significari, decorum gentium requirit. Prout natalitia, nuptias, mortem, ita etiam festos inaugurationis dies gentes vicinas sibi significare solere, ex communi experientia constat. Cum vero ad hoc faciendum secundum principia iuris gentium naturalis nulla, ne quidem imperfecta, obligatio adsit, nec hunc gentium morem, deficiente tacita voluntate gentium ex obseruantia gentium imitari debeant gentes (§. 6.); non nisi decorum gentium postulare, ut coronationis solennia significantur gentibus vicinis amicis, patet (§. 8.).

Schol. *LVDEWIG* in *Diss. de iuris gentium laesione* §. XLI. idem sentit, dum ait: *significare principes sibi inui-*

cem

cem natalicia, nuptiar, mortem, aduentum in vicinia, festoque inaugurationis dies, quae humanitatis officia impune negligi possunt, per decreta naturae. Strictior hic nexus in gentium iure. Memini Regis, qui, nouissimo tempore, neglectum ultimi accepit in sui ignominiam. Cuius animus ante pacari non potuit; quam consliterat, curialium scribarum hanc culpam fuisse, carcere & multa vindicatum grauiter.

§. XLVII.

Decorum gentium exigit gratulari coronatum peractis coronationis solemnitatibus a vicinis gentibus amicis. Cum per coronationem regia dignitas suscepta publicetur (§. 33), quod hic actus publicam laetitiam operetur dubio caret. At enim vero non solum officia gentium imperfecta iniungunt gratulationem propter publicam laetitiam gentium vicinarum amicarum (ECKSTATT. *Ehem. Iur. Gent.* L. II. C. VI. §. 3.), sed et gentes solent in istiusmodi casibus hoc officio fungi. Hi mores vero cum propter defectum tacitae voluntatis non denegerauerint in obseruantiam gentium (§. 6.); decorum gentium exigit gratulari coronatum peractis coronationis solemnitatibus a vicinis gentibus amicis (§. 8.).

§. XLVIII.

Cum vero si gens negligit decori officia, nec altera gens ad ea exhibenda amplius obligata; gens ea cui non facta significatio coronationis, citra decori neglectum gratulationem omittit.

§. XLIX.

Coronatio est actus possessorius imperii regni in quo quis coronatus. Qui in regno quodam coronatus publica

publicat regiam dignitatem sibi in regno in quo coronatur competentem (§. 33.). Publicare in regno quodam regiam suam dignitatem vero, est actus qui manifesto ad imperii exercitium in regno pertinet, et actus quo imperium exercetur est actus possessorius imperii in regno; coronatio itaque est actus possessorius imperii regni in quo quis coronatus.

Sch. Hinc non sine ratione, si successio controuersa, quam primum fieri potest, ad coronationem progreditur pars victrix, prout exempla recentissima coronationum Bohemicarum euincunt.

§. L.

Si Imperans qui sibi acquisiuit imperium in regno quodam, in cuius quieto exercitio haecenus etiam fuit, coronatur, talis coronatio non est apprehensio possessionis. Cum qui in possessione est, non demum apprehendat eam, etli etiam peragat actum qui alias possessorius actus, et per hypothelin coronandus in possessione imperii sit, quod sub data hypotheli coronatio non sit possessionis apprehensio, patet.

§. LI.

Omnes effectus possessionis inter gentes, sunt etiam effectus coronationis inter gentes, si per eam possessio acquiritur. Possessio enim producere debet suos effectus si adest, sicque quomodo acquiratur perinde est. Quae cum ita sint, omnes possessionis effectus inter gentes, sunt etiam effectus coronationis, si per eam possessio acquiritur.

Seb. Possem quidem ex hoc principio varias cogere conclusiones, sed, ut breuitati studeam, vela contraho. Qui vero sint possessionis inter gentes effectus, ex instituto ostendit WALDSCHMIDT in Diss. de possessione eiusque effectus inter gentes.

§. LII.

Si coronatio peragenda in loco extra fines territorii coronandi sito, coronatio operatur ius aperturæ, eo effectu, ut coronandus cum suo comitatu possit intrare territorium coronationis peragenda causa. Cum semper qui obligatus est, vi ipsius obligationis, habeat ius ad omnia ea sine quibus obligationi satisfieri nequit, et sub data hypothese obligationem, coronationem in certo loco peragendi, sine iure aperturæ sub dictis limitationibus, implere nequeat coronandus, quod ei qui in certo loco coronandus sub dictis limitationibus competat ius aperturæ dubio caret.

Seb. Prout effectus coronationis quoad subditos est ius intradae quod vocant, si in certo territorii loco coronatio peragenda; ita effectus coronationis inter gentes, est ius aperturæ. Quod vero Rex qui in alterius territorio est coronationis gratia, nulla alia iura præterdere possit, quam quae in genere competunt principi in alieno territorio genti, per se patet. Hinc v. g. non potest obligationem clauium exigere, prout domino territorii, vi iuris intradae recipiendo, portarum clauis offerendae. Conf. BESOLDVS Thes. Pract. verb. Schlüssel & BECMANN Synr. Dign. II. Isrlr. Diss. 8. Cap. 2. §. 5. vbi singularem Rhemensium consuetudinem ex Ceremoniali gallico refert, qua ministerium clauis porrigendi Regi coronationis causa aduentanti,

tanti, non a magistratu, sed a puella forma & moribus conspicua peragitur.

§. LIII.

Coronatio ei qui coronationem peragit, nullum ius tribuit in eum quem coronat. Cum coronatione fiat regiae dignitatis publicatio (§. 33.), coronans non nisi minister est per quem actus publicationem regiae dignitatis inuoluens peragitur. Cum vero ex eo quod quis tanquam minister publicandae regiae dignitatis adhibeatur, non fluant iura in coronandum; nec coronatio ei qui coronationem peragit vllum ius tribuit in eum quem coronat.

Schol. Flebile itaque est argumentum, quando a coronatione a Pontifice peracta, concluditur ad subiectionem eius quem coronat, vel ad ius regiam dignitatem conferendi. Sed satis iam explofit has nenas Pontificis de *LYDEWIG* in *Nensis Pontificis de iure appellandi reges* Cap. 3. §. 5.

§. LIV.

Superfunt quidem adhuc varia de coronationis effectu inter gentes, praesertim quoad coronationes coniugum & futurorum successorum, dicenda, sed flum subitaneae huius opellae merito abrumpo, vt ad id vesi- am quod est primum & praecipuum huius scriptionis.

Illuxit nimirum laetissimus ille
dies, quo AVGVSTISSI-
MI & POTENTISSIMI DA-
NIAE REGIS, PATRIS PA-
TRIAE iam sancta tempora re-
gio diademate cinguntur. Sic non
inscipitur quidem demum Regia di-
gnitas, sed declaratur ea tantum, mo-
do solenni, adhibitis ceremoniis gen-
tium moribus conformibus. Haec
tanta solennitas, regio splendore, re-
giaque pompa peragenda, publicam
omnium excitat laetitiam, omnium-
que commouet animos TANTI
REGIS salutem ardentissimis votis
exoptandi, piumque desiderium te-
standi, faustissimis adclamationibus.
In hoc communi omnium gaudio,
demisso licet, ardentissimo tamen,
pectore vota votis, plausus plausibus
addo, pagellis hisce laetitiam effusis-
simam

simam adumbrantibus. DEVS ve-
ro T. O. M. exaudiat calidissima
omnium fidelium subditorum, in
quae & haec mea desinit dissertatio,
vota, pro AVGVSTISSIMI REGIS
salute, vt religionis, iustitiae, ar-
tium, pacis, omnisque fortunae se-
cundissimae stator sit perpetuus
& constantissimus.



PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO


RESPONDENTI

S. P. D.

PRAESES.

A Scendis cathedram, die quo POTENTISSIMVS
REX DANIAE, cuius scepro Tua Patria pa-
ret, inauguratur quam solennissime, disquisitio-
nem de coronationis inter gentes effectu defensusurus.
Primitias studiorum tuorum itaque consecras REGI,
cui vt aliquando inservire possis, omnem in addiscen-
dis litteris operam & industriam collocas. Elegisti me
comitem, & me Tibi comitem eo lubentius dedi, quo lauda-
bilis est tuum, die hoc laetissimo Tuae in REGEM pie-
tatis documentum edendi, propositum. Perge nunc strenue,
provt hucusque fecisti, in moribus simul & litteris pro-
ficere

ficere & res tuas ita agere, ut te dignum reddas alio-
rum favore. Sic a tua parte impleas quae Te stringunt
officia, tumque nec deerunt qui a sua parte implebunt
officia Tibi debita, ad quae implenda me semper prom-
ptum inuenies paratissimumque. Iam desungor gratulan-
di officio, de eruditionis quod edis specimine. Adde vo-
ta, ut prospere Tibi omnia succedant, quo breui con-
sequaris fructus virtute Tua dignos, hoc est, largissi-
mos pariter ac amplissimos. Adde petium, ut
semper eo, quo cepisti, amore & in po-
sterum me persequi pergas. Dabam Halae
d. 5. Sept. MDCCXXXVII.



fere & virtutes in eorum, et te dignum reddat infir-
 rum favore. Sic a tua parte imples quae te fringunt
 officia, tunc nec deest qui a tua parte implent
 officia libenter. Et hoc est quod in te videtur
 gratia in te per te virtutes. In te virtutes
 di officio de exultatione tua est. Adde co-
 to, et propterea tui gratia fructus, quo deus con-
 fectus fructus virtus tua dignus, hoc est, virtus
 mor pariter ac amplior. Adde pariter, et
 super eo, quo cepisti, virtus & in po-
 fectus in te pariter virtus. Dabunt tuis
 a. s. Apr. MDCCXXVII.



ULB Halle
002 729 385



3

St







20

Genl. 2. Num. 35.

17

1797 11a

DISSERTATIO IVRIS GENTIVM POSITIVI
DE

CORONATIONE
EIVSQUE
EFFECTV INTER GENTES

P. 168

QVAM
PRAESIDE
VIRO CONSVLTISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
D. DANIELE NETTELBLADT
POTENTISSIMO PRVSSORVM REGI A CONSILII AVLICVS
ET PROFESSORE IVRIVM ORDINARIO
IN FESTO CORONATIONIS
POTENTISSIMI REGIS DANIAE

D. IV. SEPTEMBR. M DCC XLVII.

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTET

HENRICVS WILHELMVS LÜBBEN
OLDENBVRGENSIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI ACAD. TYPOGR.

